



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn


**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos  
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rerum  
Christianarum Memoria, Libri X**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Helmestadi[i], 1671**

Cap. II. Qualiter ad regnum pervenerit Herodes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10968**



D. HAYMONIS  
EPISCOPI HALBERSTADENSIS,  
HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

*De tempore natiuitatis Christi secundum carnem,  
& De Herode alienigena.*

**I**ESVS CHRISTVS Dominus ac Saluator, sexta mundi ætate in *Bethleem*, Iudæ oppido, nascitur, imperante apud Romanos *Augusto Cæsare*, apud Iudæos vero regnante *Herode alienigena*, & externi generis viro. Hic autem *Herodes*, sub quo natus est Dominus, ad differentiam *minoris*, sub quo passus est, *major* *Herodes* fuisse intelligitur: secundum *Iosephum* ex parte patris *Idumæus*, secundum *Africanum* vero filius cuiusdam *Antipatri*, quondam ab *Idumæis* latronibus capti, & eorum latronum vita & moribus instituti: de quo natus hic *Herodes Iudæorum* regnum sic obtinuit.

CAP. II.

*Qualiter ad regnum peruenit Herodes.*

**C**Um oppugnasset *Pompejus Hierosolyma*, & accepisset, & *Aristobulum* Regem & Pontificem *Judæorum*

## HAYMONIS HISTORIÆ

orum cum liberis vinctum Romam misisset, *Hircano* fratre ejus Pontifice constituto, in quem ultimus Iudæorum pontificatus devenit, mox eodem *Hircano* à *Parthis* capto, per Senatusconsultum præfatus *Herodes* Iudææ Regum, *Augusto* imperante, adeptus est, faventibus forsan aliquibus Iudæis. Nam pater hujus *Herodis* præfato *Hircano* Pontifici valde familiaris extiterat.

### CAP. III.

*De facinorosis actibus Herodis.*

**I**Taque regnum adeptus *Herodes*, delere volens Iudæorum generositatem, spreta nobili & legitima generis successione, ignobilibus quibusque sacerdotia promittens, omnem ordinem confudit, & ad cumulum suæ nequitiae sacram vestem, qua summus Pontifex utebatur, sub signaculo clausam abscondidit, nec unquam Pontificibus in vita sua uti permisit. Hoc idem *Archelaus* filius ejus fecit. Hunc & Romani post ipsos morem pontificalis injuriæ tenuère.

### CAP. IV.

*De crudelitate Herodis in infantes.*

**C**Hristo igitur nato, & , secundum *Matthæi* Evāgelistæ testimonium, adventantibus tribus *Magis* ad eum stella duce; conturbatur incredibiliter: veritus status sui & regni periculum. Investigato à *Magis*, & manifestato ex *Micheæ* oraculis loco nativitatis ejus, interim jubeat omnes pueros à bimatu, & infra, se-

cun-